

R. JOSEPHI AL-
BONIS, R. DAVIDIS KIMHI,
ET ALIVS CIVIS DAM HEBRAEI
*anonymi argumenta, quibus nonnullos fiduci
Christianæ articulos oppugnant.*

G. GENEBRARDO B. A. THEOLO-
GO INTERPRETE.

Ad eorum singulas disputationes eiusdem interpretis responsa, in
quibus multa de Deo, de Tribus diuinitatis hypothesibus, de
Christo, Eucharistia, lege, Euāgelio, & mysteriis similibus, quo-
rum nomenclaturam extrema pagina exhibet, p̄tractantur.

Liber vel illo solo utilis, quod multa, aduersus recens TRINI-
TATI ORVM dogma, hoc insculpi æuo, in Lituania & Po-
lonia de tribus diuinis essentius atque diis excitatum, declarat.



P A R I S I I S,

Apud Martinum Iuuenem, sub insigni D. Christo-
phori è regione gymnaſi Cameracensium.

M. D. LXVI.



3

ANTONIO DV PRAT AB-
BATI DE BON LIEV MECOENA-
tisuo G. Genebrardus Theologus.

Ver apud me retractarem, quæ superioribus annis in nostris scholis Theologicis de natura Dei, de Trinitate, de Lege, de Euangeliō, de Sacrificiis, &c compluribus aliis disputauimus, animum libens conuerti ad eorū defensionē, quæ contrā Iudæorum Rabbini obiiciunt. Auxerunt ardore infælices illæ Trinitariorū, siue Tredeitarum turbæ, quibus in regno Poloniæ & magno lituanie ducatu Gregorius Paulus, Cazanovias, Homannus, Paclesius, Stanilaus Lutomierus, eorūque administris seditionissimis de S. Trinitate concionibus ac libris canūt classicum, post tot ab Arrianis aut etiam à Philoponianis toto orbe profligatis sacula. Et quamquam aduersus istos, si pergent furere (pergent autem, ni Deus reprimat, quoniam solitus est Sathanas) differendi aliquando amplior locus dabitur, tamen præsentem occasionem prætermittere nolui, ut uno conflictu duo monstra Dei ope, de cuius causa agitur, si non domarem, certè auertere conarer. Hunc autem laborem neutiquam esse fructuosum, nullo pacto mihi persuadere possum, quippe cùm sperem hinc multos ex prompturos arma, quibus cum Iudæis (ut miseros faciam, quos modo nominaui, Trinitarios) Venetiis,

a y

Bono-



R. JOSEPHI ALBONIS, CONTRA
Christianos disputatio, quæ est caput 25. orationis ter-
tiae libri, quem de קְרָבָה seu articulis legis Mosaicae
conscriptis.



Disputavit mecum Christianorum sapientum unus Hebr. Non haud vulgariter eruditus, zetorum. dicens rem quamque ex- Nos autem plorari ex causis suis mate intelligunt- ria, forma, efficiente, fine, Elias in Tis- legem autem Mosis in om- bi. et, Ter- nibus his , cum ad illas talib. 4. exigitur, imperfectam re- cont. Mar-

periri. Ex parte quidem materiæ, quod in illa sint cito narrationes atque sententiæ alienæ , quæ legis rationem subire non possunt, hoc est, quæ ad vitam moderandam & dirigendam minimè pertinent. Contrà in lege Iesu nihil extare, quod legis appellatione non censemur. Ex parte vero efficientis, quoniam Mosaica mysteria diuina, quæ Trinitatem insinuant, occulta admodum præterit. Fieri enim non posse, ut per eam perfectio conditoris, qualitatesque eius aliquo modo intelligantur. Diccebat autem hoc intelligi ex Nazareni lege , quæ explicatè doceret Deum esse Patrem, Filiū & Spi-



AD IUDAEI ALBONIS SYPE-
riora capita responso.

Christum quidem legem, quam iu-
stis de causis Euangelicam appell-
amus, per se non dictasse clarius
est, quam ut negari possit. Aposto-
los autem, quæ ab eo tam publicè
quam priuatim exceperant, fideliter & ore & ta-
bulis expressisse, quis nisi impudens in cōtrouer-
fiam vocauerit? Extant in testimonium, eorum li-
bri, qui quia à rudibus & indoctis ita eruditè &
sapienter literis consignati sunt, ut totum orbem
in sui peruestigationem & contemplationem ra-
puerint, non nisi afflatu Dei conscribi potuisse
certum est, ut te tuique similes planè cæcatos o-
porteat, qui tam fulgentem doctrinæ lucem ipso
claro meridie multo illustriorem non cernitis.

Huiusmodi scripta tibi non videntur leges, quia
aliam dicendi formam, quam duæ apud vos, aut
apud Græcos decem tabulæ præferunt. Nimirum
omnia in eis cuperes plena minis & fulminibus,
vbi homines promissionum blanditiis nollent in-
citari. Atqui alia longè est ratio legislatoris no-
stri & cæterorum, de quibus illud poëticum iure
vsurpari potest, Oderint dū metuent. Nobis enim
non

De Euangeliō.



RESPONSA SIMVL ET ARGV-
menta, quæ Rabbi David Kimhi contra Christia-
nos suis ad Psalmos Commentariis inseruit.

Quarè tremuerunt, Psal. 2.

NAZARENI exponunt de illo homine. Versus autem, quem ad suæ senten-
tia confirmatione adducunt & quo
nituntur præcipue, est, *Dixit Dominus ad me, Filius meus es tu.* Non e-
nim, inquiunt, pronuntiare licet Filium Dei purum
esse hominem, cum præsertim Filius eiusdem sit
speciei, atque Pater. Improbè enim equum Ruber-
nis filium dixeris. Quo sit ut eum, cui dixit Deus,
Filius meus es tu, eiusdem cum ipso essentiæ, deum-
que pariter esse necessarium sit. Præterea Ego, in-
quit, *Hodiè genui te.* oportet autem genitum esse
de specie naturaque gignentis.

Tu verò respô de diuinitati nec Patris, nec Filij
nomen conuenire.

2. Diuinitas enim siue Deitas non diuiditur.
Nam non est corpus, ut diuidatur, sed est unum a-
liquid omnibus unitatis modis atque rationibus.
Non multiplicatur, non diminuitur, partitioni ob-
noxia non est. Deinde obiice illis Patris & Filij
leges.

3. Pater



OBIECTA HEBRAEO-

RVM EX IPSORVM VER-
naculis Latina facta, & breuissimè
confutata.



*Vare, Quonam pacto dicitis Iesum
venisse ut cōseruaret homines à sce-
leribus, & illos eriperet è Gehen-
na, cùm ipse interitu suo peccatum
Iudæorum, qui in crucem egerunt
eum, auxerit? Nullum enim facinus grauius atten-
tari potest, quām Dei crucifixio.*

*Respondeo, Causa tanti sceleris nō Christo no-
stro assignāda est, sed Iudæis ipsis, qui sponte necē
Christo consciuerunt, nisi fortasse ex cōsecutione,
seu (ut Græci loquuntur) κατὰ συμβεβηός. Quo-
niam, dum sponte oblatam salutem noluerunt re-
cipere, factum est, Dei iudicio æquissimo, ut pœ-
nas capitales dependerent. Tale quid extat in no-
stri Lucæ euangelio, *Hic positus est in resurrectionem*
(propriè & ῥγδ. ἐαυτῷ) *atque ruinam multorum.*
(κατ Ἀλ.) *Quod enim Christus quibusdam rui-
næ est, non est eius finis & institutum: nam non ve-
nit ad perdendū. Quod verò aliis resurrectioni &
saluti, est eius proprius finis & destinatio. Venit
enim**

ORATIO, QVAM PRO IV-
D AEIS QVIDAM EORVM A D
nōstram religionem conuersus, ad Deum misericor-
diarum patrem, tam piè vehementerque habuit, vt
eam de Hebræo vertere, quām aliam de integro cu-
dere potius duxerim.



B S E C R O domine, Deus propitia-
tionis & creator misericordiarum,
qui geris te in omnem c̄tatem & z-
tatem benignè atque misericordi-
ter, qui eleuatus es supra omnes al-
titudines. **O**bsecro Deus maiestatum, superans o-
mnes laudationes, corona millium myriadum ad-
ornatus, recordare congregationis tuæ, quam pos-
sedisti ab antiquo, & memento iuramenti, quod
deierasti patribus nostris, atque voti, quod promi-
sisti illis. Inspice quæso in Christum tuum, qui ab
illorum nepotibus exortus est, quémque dedisti ve-
lut oblationem holocausti, in expiationem iniqui-
tatum nostrarū, & illustra oculos cæcorum isto-
rum, ac tribue illis apertioñem cordis, intelligen-
tiæ & cognitionis, vt intelligant te fontem vitæ, vt
agnoscant cuncti terrarū populi te esse Deum so-
lum, qui facis mirabilia omni tempore, vti fecisti
patribus nostris à diebus priscais. Scio equidem te
non appetere morte mortui peccatoris, sed potius
vt auersus à sua scelerata agédi ratione viuat. **P**re-
cor igitur domine Deus, oro, obsecro ego seruus
tuus, pro populo tuo Israël, misericorditer inclina
domine